



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCLXV. Christus prædicat in Encæniis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCLXV.

*Christus prædicat in Encanij.*

Joan. 10. v. 22.

PUNCTUM I. Facta sunt autem Encænia in Jeroſolyma  
 & hyems era. Et ambulabat JESVS in Templo i-  
 poreicu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judei, &  
 cebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus,  
 dicit nobis palam. Respondit eis JESVS: Loquor vobis, &  
 non creditis; Opera, quæ ego facio in Nominе Patris mei  
 hæc testimonium perhibent de me. Joan. 10. v. 22. Sic Ope-  
 ra nostra Bona de nobis testimonium perhibeant, no-  
 esse Filios DEI Adoptivos; quemadmodum Opera  
 Christi Miraculosa de illo testimonium perhibuerunt  
 eum esse Filium DEI Naturalem. Sine operibus e-  
 nim nec laudem apud homines, nec fidem, solis ver-  
 bis nos jaſtantes, obtinebimus; nec apud DEVVM Ha-  
 reditatem Æternam merebimur. Sicut enim Ju-  
 dæis aliquando Christus dixit: Si Filij Abrahæ eris, Ope-  
 ra Abrahæ facite: Ita si Filij DEI esse volumus, & Ha-  
 redes DEI, Cohæredes autem Christi, Opera DEI  
 faciamus.

PUNCT. II. Sed vos non creditis, quia non effici ex  
 Ovibus meis (id est, quia non vultis esse ex Ovibus meis,  
 meam vocem audientibus) Oves meæ Vocem meam au-  
 diunt (audire autem est credere, & obedire Doctrinæ  
 Christi) & Ego cognosco eas, & sequuntur me (id est,  
 Exemplum meum) Et Ego Vitam Æternam do eis, &  
 non rapiet eas quisquam de Manu mea. v. 26. Esto & tu ex  
 Ovibus Christi. Si audis Vocem docentis, & seque-  
 ris

ris Exemplum præeuntis, agnoscet te , ut dirigat te ,  
 & pascat , vitamque tuam servet , & protegat con-  
 trarapaces lupos , & insidias Diaboli.

PUNCT. III. *Pater meus , quod dedit mihi ( communica-  
 nando suam Naturam Divinam ) majus omnibus est  
 ( id est , omnibus rebus creatis ) & nemo potest rapere de  
 Manu Patris mei : nemo enim per suam infidelitatem ,  
 vel invidiam potest eripere id , quod mihi dat , quo  
 minus sim Filius Dei Naturalis . Sic etiam Gratia  
 Adoptionis in Filium Dei est majus Bonum omnibus  
 bonis creatis ; & hanc nemo potest eripere , nisi ipsi  
 velimus eam perdere per consensum in peccatum .  
 Ego & Pater Vnum sumus . v. 30. Scilicet sumus Unum  
 per eandem Naturam . Nos sumus Unum per Gra-  
 tiam , quâ reddimur consortes Divinæ Naturæ . Ita-  
 que idem etiam sentiamus , & idem velimus , & o-  
 mnem separationem ac divisionem horreamus .*

## MEDITATIO CCCLXVI.

*Continuatio Prædicationis.*

Joan. 10. v. 31.

PUNCTUM I. *Sustulerunt ergo lapides Judæi , ut lapi-  
 darent eum . Respondit eis JESVS: Multa Bona Opera  
 ostendi vobis ex Patre meo : propter quod eorum Opus me la-  
 pidaris ? Joan. 10. v. 31. Hóccine meis Naturæ vires  
 excedentibus Operibus , ac Beneficijs à vobis prome-  
 ritus sum , ut me lapidare velit ? Simili modo Deus  
 ex nobis querere posset : Hóccine meis Beneficijs  
 promeritus sum , ut me vestris peccatis quotidie im-  
 petere , atque obruere non vereamini ? At tu non si-  
 mili*